

Et rursus a prima littera ultimi versus <usque ad novissimam primi versus per oblicum ascendit hic versus
scripta micat, resonans nominibus domini

Rursus a primo versu> prope medietatem <scriptae litterae> utrimque septenae ad directum minio duabus litteris quae sunt I et E, et in media acrostichide in S litteram linea deformata; exprimitur per has tres partes versus heroicus

nate deo solus, salvator sancte bonorum.

Rursum in linea V litterae, quae est ad medietatem ultimi versus et in linea S litterae quae est in telestichidis medietate pentameter versus scriptus est hic

tu deus es iusti, gratia tu fidei.

Rursum per medianam Graecam X litteram ad directum virgula descendens, quae habet inflexuram quasi P litteram Graecam, habet scripturam prosa

sit victoria comes Aug. et natis eius.

Quae omnis pictura habet monogrammum Christi et minio litteras scriptas IESVS.

SCHOLION IX

In hac pagina per omnes partes tricenae septenae litterae sunt, et de minio scripta est species palmae. In qua palma primi duo rami quia breves videbantur nec versum